

ponderosus <sup>1</sup> effectus, plus quam per triginta annos, magna oppressus calamitate multum inde laborabat. Post multum vero tempus, cogente nescio quâ necessitate, cum iter agere disponderet, subito transito flumine, quod Alba dicitur, de equo cecidit, moxque morbus ille inveteratus tantum tunc auctus, ut in illa parte corporis prae magnitudine tumoris contracti corporis vix in eo viri species remaneret. Qui prae nimietate illius doloris vix ad infirmariam deportatus, multis in illa diebus miserabiliter cruciatus iacebat. Huic quadam dominica nocte, cum infra matutinas laudes solus iaceret, apparuerunt duo iuvenes tantae angelicae claritatis nitore profulgentes, ut eius nimium reverberarentur obtutus, cumque ille anxia mentis haesitatione consternatus eos inspiceret, mox eum blandis sermonibus affati sunt.

31. „Cur, inquit, o frater, [fol. 31<sup>b</sup>] caeteris in ecclesiam ad vigiliis occurrentibus tu solus hic in cubili iaces?“ Cuique ad interrogata nullum daret responsum, unus illorum dedit ei cingulum dixitque ad eum: „surge celerius et cinge te, frater, cingulo isto, sciasque hoc pro certo incommodorum, quibus haecenus laborasti, remedium tibi a domino collatum fore teque tam ab illis antiquis, quam et ab istis recentibus doloribus sanum et incolumem amodo esse, donec metam humani ducis eius, alacriter confide!“ Quod et ita factum est, constat, enim <sup>2</sup>, qui paulo ante nec in lectulo sese vertere sine aliorum adiutorio poterat, mox concito surgens, deumque benedicens, signo ad primam pulsato, chorum omnium maxima cum admiratione intravit; hicque postea paene quindecim annos in dei servitio sanus et incolumis supervixit. Quod ipse tunc cum multis lachrymis domino abbati confessus fuit, sed ipso vix cogente postea duos alios fratres in testimonium tantae rei adscivit.

32. Quotiens vero postea ex illo tempore aliqua eum gravis infirmitas inquietaret, mox oratione fideliter ad dominum fusa, nihilominus meruit exaudiri. Praeterea exlant et alia miranda, quae illi divinitus diversis temporibus fuerunt ostensa, sed haec nos perfectioribus narranda relinquimus. Nec diffidendum est, nostra etiam aetate haec fieri potuisse, quae aevo praecedenti aliquotiens facta esse fideles historiae narrant, donante uno eodemque domino, qui se nobiscum usque in finem saeculi manere pollicetur. Migravit autem ad dominum in senectute bona, tributa est ei vita et longitudo dierum in saeculum saeculi amen.

33. [Hermannus, prior.] Hermanus, presbyter et

prior\* huius loci, qui ab his, qui eum viderunt et noverunt, testimonium habuit, quod in quadraginta annis pro nullius rei causa ultra proximum Albae fluvium transiret, austerissimam religionis incedens viam, ita esum devitans carniis, paene cottidie sacrificium laudis deo, quod in suo corde et corpore sine intermissione obtulit, etiam in altari visibili iugiter [fol. 32<sup>a</sup>] immolavit.

34. [Gundelo\*\*.] Gundelo, qui hic religiose vixit et praesens saeculum mutavit, hic in extremis positus diabolus ad se venire vidit, cui indignans dixit: „vade viam tuam.“ Deinde dixit, sibi iuvenem speciosum assistere, in cuius aspectu in tantum est delectatus et consolatus, quod dixit, se nullo modo ab illo velle separari.

35. [Punitio proprietarii\*\*\*.] Frater quidam in extremis iacens quaedam vestimenta subtus se in lecto incaute et inordinate in abscondito habuit reservata. Quo comperto sententia et disciplina, quae in dialogo scripta est de monacho illo, qui in monasterio sancti Gregorii oculos tres aureos habuit †, super hunc fratrem servata et adimpleta est.

36. [Heiligosus de Nunkilch ††.] [1120.] Heiligosus, presbyter de Nuenkilch ††† in hoc loco monasticam militiam devote initiavit et devotius consummavit, qui simplicis naturae homo erat, scilicet per innocetiae tramitem prudens ubique incedebat. Nam in tantum humilitati et perfectae obedientiae, continuae orationi et silentio, mansuetudini et mentis quieti animi supposuerat, ut non modo per hoc imitabilis <sup>1</sup>,

<sup>1</sup> mitabilis, erste Hand.

\* Im rotulus defunctorum kommen nur Priore von St. Blasien des 14. und 15. Jahrh. vor, dieser ist aber älter.

\*\* Steht auf dem Stabe von Herrgotts Hand.

\*\*\* Handglosse Herrgotts.

† Diese Stelle kann, wie sie oben steht, auch aus dem dialogus des hl. Gregor über die Regel des hl. Benedict sein, aber fast wörtlich steht sie in der vita s. Gregorii von Diacomus Johannes, Buch 1 Kap. 2 Acta SS. Mart. 12 p. 140, von Sed praedictus (monachus) Justus, cum iam se ad extrema pervenisse cognosceret ait, bis quia oculos tres aureos haberet. Die Strafe, welche der hl. Gregor dem Mönche Justus auferlegte, hat man in St. Blasien nachgeahmt. Die Mönche entfernten sich von seinem Sterbebette, man sagte ihm auch, daß dieses als Strafe geschähe, seine Leiche wurde in eine Mistgumbe geworfen und darauf das gestohlene Gut (also hier die quaedam vestimenta). Man sieht, wie streng die Zucht im 11. und 12. Jahrh. in St. Blasien gehandhabt wurde.

†† Herrgotts Handglosse. Im alten Necrolog unter dem 20. October steht richtiger Heilgoz frater. S. Bd. 3 S. 617.

††† Neunkirch im Kanton Schaffhausen.

<sup>1</sup> steht für herniosus. <sup>2</sup> nam, §f.